

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Svmmvla Selectarvm Qvaestionvm Regvlarivm

Bonagratia <von Habsheim>

Friburgi Brisgoiae, 1665

Irregvlaritas

[urn:nbn:de:bsz:31-160625](#)

De Indulgentiis vide insuper V. Officium Diuinum. V. Priuilegium. V. Visitator.

IRREGULARITAS.

- 237. Quid sit Irregularitas. 238. Quomodo incurritur. 239. Incurrisse cognoscatur.
- 240. Irregularitatis effectus primus.
- 241. Irregularis potest ea, quae licent Laiis.
- 242. Tenetur ad recitandum Horas Canicas.
- 243. Nequit Ordines recipere vel exercere.
- 244. Irregularitatis effectus secundus.
- 245. An validè posit Irregularis administrare Sacramentum Parientia.
- 246. Irregularitas duplex, ex Defectu culpabili & inculpabili.
- 247. Ex Defectu perfectæ lenitatis. 248. In multis casibus non incurritur. 249. Incurrunt eam milites.
- 250. Irregularitas ex Delicto.
- 251. Irregularitas tollitur tribus modis. 252. Dispensatione. 253. Baptismo. 254. Professione Religiosa.
- 255. Dispensat ordinariè solus Papa.
- 256. Potestas dispensandi Episcoporum. 257. In homicidio. 258. Defectu perfectæ lenitatis.

259. P.

259. *Potestas dispensandi Regularium erga Subditos.*
260. *Respectu Secularium.*

Regularitas, est *Impedimentum Cau-
dnonicum*, quo quis inhabilis est ad Or-
dines suscipiendos, vel suscep-
tus exercendos, ob
tuendam dignitatem ipsius Ordinis, ac Beneficij
Ecclesiastici. Cum dicitur, *Impedimentum*, di-
stinguitur Irregularitas à censuris, quæ ex
sua propria ratione ob culpam infliguntur,
velut penæ medicinales: Irregularitas ve-
rò est moralis inhabilitas Personæ, per se
primo impedies susceptione Ecclesiastico-
rum Ordinum, secundariò verò & conse-
quenter eorundem vsum, si iam consecu-
tus quis eos fuerit, propter aliquem defec-
tum seu maculam: quandoquidem decet
eos, qui ad altaris ministerium assumuntur,
tam corpore, quam animo esse integros, pu-
ros & immaculatos; specialiter verò tradi-
ta definitio explicat differentiam Irregula-
ritatis à suspensione & depositione, cum
quibus aliquam similitudinem gerere vi-
detur. Nam suspensio, sicut & depositio,
per se ac directè non impedit Ordinis suscep-
tionem, sed potius vsum Ordinis suscep-
ti, quare Clericorum propria est. At verò
Irregularitas tam in Laicos, quam Cleri-
cos, imò magis in Laicos cadit, quippe

CCXXX.
VII.
Quid sit?

Z 4 quæ,

quæ, cum in his primarium effectum suum exercere possit, ipsos inhabiles reddit ad exercitiū Ordinis: nec nō & Ordinis alicuius sacri susceptionem.

C:XXX. 238. Ex his patet 1: Irregularitatatem

VII. non ab homine per sententiā, sed solo iure, eoque non particulari, seu Episcopali, sed vniuersali tantum Pontificio imponi posse. Irregularitas enim, ut dictum, principaliter non imponitur per modum pœnæ, sed potius per modum Canonici Impedimenti, ob decentiam & reverentiam sacerdotis ministerio debitam; valde autem decens est, ut talia Impedimenta propterea sint in tota Ecclesia, sicut & altaris ministerium, honor, & reverentia vniuersæ Ecclesiæ communis est. Quare quoties in Canone præcipitur, ut pœna alicui per sententiā Iudicis imponatur, non est Irregularitas, sed suspensio vel depositio, &c.

Porrò circa formam verborum, quibus in Iure inducitur Irregularitas, ea debent esse significantia Canonicum Impedimentum ipso facto incurrendum, nullà Iudicis expectatâ sententiâ, etiam declaratoriâ criminis. Requiritur etiam, ut verba, quibus Irregularitas declaratur, ita sint propria, ut in specie declarent impedimentum ut ab alijs distinctum. Vbi etiam adverte, quod quando

quando expressè ponitur Irregularitas, et si
verbo de futuro iungatur, v. g. Irregularis
erit, aut fiet; intelligitur ipso facto, quia
ita limitat & petit natura ipsa Irregularita-
tis, licet illi, verbo non addatur, *ipso facto*,
vel simile. Verba autem Iuris, quæ signifi-
cant Irregularitatē, sunt hæc: non potest es-
se Clericus, vel ne sit, ad Clericatum non pro-
moueat, nunquam ordinetur, nunquam ad-
spiret ad Ordines, ad ministerium Ecclesiasti-
cum non admittatur &c. qui modi loquendi
habentur in Canonibus Apostolicis, & ali-
as in Iure sacerdotis. Insuper quando verba Iu-
ris significant totalem Irregularitatem, fa-
cile colligitur; quando verò tantum parti-
cularem, advertendæ sunt circumstantiæ,
an pro suspensione vel depositione possint
intelligi. Quando verò in Iure ponitur Pri-
uatio Sacerdotij, solet aliquando intelligi
totalis Irregularitas, quia omnis ordo ad
Sacerdotium ordinatur, & ita nomine Sa-
cerdotij totus Clericatus intelligitur. An
verò sumatur aliquando tantum pro ordine
Sacerdotali strictè, colligitur ex circum-
stantijs.

239. Ad cognoscendum igitur, an CCXXX:
quis incurrit Irregularitatem, perpen-
dendum antè omnia est, an casus ille, de *Incurritus*
quo queritur, in Iure sit expressus, ac spe- *qui cog-
noscatur*

Z. I.

cifcè

cificè nominatus; aliàs enim quamuis par videatur esse ratio, vel etiam maior, non incurritur Irregularitas. Neque ab uno ca-
su ad alium, ob similem vel maiorem ra-
tionem, extensio fieri potest, vt ex commu-
nit tradit. Nauar. in man. c. 27. n. 144. Imò
nec in dubio quidem Iuris incurritur Irre-
gularitas, teste eodem Nau. in c. Si quis autem
de Penit. d. 7. n. 35. cum odia restringenda
sint. De dubio facti, in hoc scilicet, aut illo.
particulari casu, an incurritur Irregularitas,
maior est difficultas. Plerique quoad forum
Conscientiae consulunt, vt in tali dubio,
quis abstineat à diuinis, ne se exponat peri-
culo faciendi contra prohibitionem Irre-
gularitatis. Alij tamen communiter in so-
lo homicidio censem quem Irregularem
in dubio facti, secùs autem in alijs casibus,
quia Iura solum loquuntur de dubio facti
homicidij. Bassæ. V. Irregularitas. 1. n. 10.
Quando inter multos, dubitatur, quis ex
illis occiderit, et si communior ferat sen-
tentia, omnes, de quibus dubitatur, esse Ir-
regulares, Lessius tamē in 3. p. D. Thom. c. 3. de
Irregul. dub. 1. n. 25. Ut eum refert Dian. p.
9. tr. 7. Ref. 20. docet quosdam non impro-
babiliter dicere, hoc solum habere locum
in foro externo, idque maximè ante dili-
gentem Inquisitionem: In foro autem cō-
scientia,

Scientia, si post factam diligentem inquisitionem adhuc manet omnino dubium, quis sit auctor, neminem censendum irregulariter; quia satius est crimen aliquod impunitum relinqui, quam innocentes puniri &c. Licet vero etiam in dubio homicidij presumatur Irregularitas, hoc tamen extendendum non est ad dubium homicidij iusti, v. g. in bello commissi. Dian. p. 3. tr. §. ref. 72.

240. Patet 2. Qui sunt effectus Irregularitatis. Est igitur primus ac primarius, ^{Irregularitatis} ^{effectus} Impedimentum suscipiendi ac exequendi ^{primus} Sacramentum Ordinis extoto, vel in parte; fit enim aliquando, ut species vel modus Irregularitatis sit absolutus, aliquando non, sed cum respectu tantum ad certum ordinem aut ordinis executionem, qualis est administratio Sacramentorum, praeter Baptismum sine solennitate, & Matrimonium cuius Ministri sunt ipsi contrahentes. Hæc autem intellige de licita susceptione vel administratione Sacramentorum; quin enim validè Irregularis ordines suscipiat, suscep-
tisque uti possit, nil obstante Irregularitate, mox cætera requisita ad sint, nullum est dubium: Mortaliter tamen peccabit in Irregularitate prohibitum Ordinem suscipiens, vel administrans, ut omnes docent, li-

cet

cet noua Irregularitas ideo nulla incuratur, teste Nauar. communiter recepto in
Man. c. 27. n. 194.

CCXLI.
*Irregula-
ris potest
ea, qua-
licet Lai-
cis.*

241. Tamen Irregularis non prohibetur actus factos exercere, qui per Laicum præstari possunt, cum priuetur tantummodo actibus, qui sunt proprij ordinatorum, quapropter potest recipere Sacra menta, excepto Ordine, ideoque etiam absoluì à peccato, illo quoque, ob quod incursa est Irregularitas, illâ manente; quia Irregularitas non priuat vslu passiuo Scrramenti Pœnitentiae, neque peccatum habet connexionem cum Irregularitate, sed sicut Irregularitas potest tolli per dispensationem manente peccato, sic è contra; cum non ideo reseruatum censeatur, ex eo quod Irregularitas reseruata sit. Lezan. V. Irregularitas.

num. 7.

CCXLII.
*Tenetur
ad reci-
zandum
officium
Diunum.*

242. Potest insuper dicere officium Canonicum, imo ad hoc tenetur, si alias seclusâ Irregularitate ad id tenebatur. Potest etiam illud & quocunque aliud officium in Choro, vel Ecclesia, cantando dicere, modò nō faciat eo modo, quo à Clericis id effici tantum potest, id est, solenniter cum illis cæremonijs & vestibus, quæ ei competent ex officio & ordine. Quare si Subdiaconus Irregularis Epistolam canat sine vestibus

BLB

ribas in Choro, aut sine manipulo in Alta-
ri, quia tunc non facit actum ordinis solen-
niter, sine peccato est; sicut & in necessita-
te Baptismum sine solennitate ministrans,
quia id & Laicus facere potest.

243. Nequit autem Irregularis ordines, CCXLIII.
vel maiores, vel minores, & ex communi
fententia, neque primam tonsuram susci-
pere; vel si ordinatus fuerit, ordines quo-
cunque, sive maiores, sive minores exer-
cere, qui à Clericis tantū exerceri possunt,
quare non tantum prohibitum est ipsis Sa-
cerdotaliter absoluere à peccatis, aut mi-
nistrale ex officio aliquod Sacramentum,
sed neque facere officium Hebdomadarij,
Dicere, Dominus vobiscum, Benedicere aquam
&c. Lezan. cit. n. 6.

Nequit
ordines
recipere
Vel exer-
cere.

244. Alter Irregularitatis effectus ex CCXLIV.
primo illo nascitur, ideoque & secundarius Effectus
dicitur, atque beneficium respicit ipsi Or-
dini annexum; Irregularis enim sicut est
inhabilis ad ordines, & eorum usum, sic est
& ad beneficium, quod datur propter Offi-
cium Clericale. c. de Rescript. in &c. Nomis-
ne autem Beneficij intellige etiam Prælatu-
ras in Religionibus, Generalatum videlicet,
Prouincialatum, Guardianatum, &c.
de quibus V. Prælatus. Quia licet hæc Benesi-
cia propriè non sint quoad utilitatem tem-
poralem

poralem percipiendi fructus seu redditus, sunt tamē Beneficia, quoad Iurisdictionem spiritualem, & curam animarum, quam important Lezan, *V. Beneficium n. 3.* Irregularis itaque incapax est Beneficij, & cuiuscunq[ue] Prælaturæ Regularis, adeò ut ex communi DD. sententia, collatio illius Irregulari facta, sit ipso jure irrita, quod ided retinere saluā conscientiā non possit, nisi obtentā dispensatione Irregularitatis, curauerit Beneficium sibi de nouo conferti ab eo qui potest illud conferre. De quo vide *V. Electio. n. 166. & n. 169.* Aliquorum tamen sententia est, vt ait P. Bassæ, *V. Irregularitas. i. n. 13.* Non improbabilis, licet peccet mortaliter Irregularis, acceptando Beneficium in Irregularitate, & similiter retinendo; valere tamen collationem Beneficij, & posse facete fructus suos, neque teneri eos restituere, etiam si per Iudicem beneficio priuaretur. Item posse impetratā dispensatione Irregularitatis licet beneficium retinere absque alia habilitatione, vel noua collatione. Posse etiam validè exercere omnes actus competentes ratione beneficij, imo & licet, si non sint actus ordinis, & saltem non sit in mora petendi dispensationem. Vnde potest absoluere acsursis, dispensare in votis, assistere matrimonio, &c. Potest etiam

Patrochus

Patrochus
nem alteri
nam hec
145. A
valide tam
um Permitte
qui: Comm
pen, de tru
guiner pec
tionem, qui
riduction
lethaliter
men de
tio, qua
dictioni
ab illo fa
nation fu
fessio, h
quia era
heret eod
Sacerdos
comita pa
Confessari
Irregularis
Confessio
Idem, sic
quin nihil d
fuerit duf
cum Irregu

Parochus Irregularis delegare Iurisdictionem alteri Sacerdoti, ut suas oves absoluat: nam hæc delegatio non est usus Ordinis.

245. An vero Irregularis, si non licet validè tamen possit administrare Sacramentum Pœnitentia? dubium est; Negant aliqui: Communior tamen est, teste P. Caspens, de Irregularitat. disp. 5. sec. 3. n. 21. licet grauiter peccet, validam tamen esse absolutionem, quia Ecclesia non irritat actus Iurisdictionis. Undelicet Irregularis peccet lethaliter exercendo actum ordinis, si tamen de facto absoluat, valida erit absolutione, quia habet potestatem ordinis & Iurisdictionis; sicut & valida erit consecratio ab illo facta. Si tamen Irregularis nominatum fuerit denuntiatus, invalida erit Confessio, non ex defectu Irregularitatis, sed quia erat vitandus, ac proinde pœnitens ponere obicem gratia; cooperando peccato Sacerdotis exercentis functionem ordinis contra pœnam Irregularitatis. Si tamen Confessorarius esset nominatum denuntiatus Irregularis, & hoc ignoretur à Pœnitente, Confessio facta bonâ fide tali Sacerdoti validia erit, sicut & absolutione ab illo collata, quia nihil deest ex parte Pœnitentis, si alioquin sit recte dispositus, nec peccet comunicando cum Irregulari, neque ex parte Sacerdotis,

quia

CCXLV.
An Galio
de posse
adminis-
trare Sa-
cramen-
tum Pœ-
nitentia.

quia Irregularitas non tollit potestatem Iurisdictionis & ordinis. Vnde etiam talis potest ab Episcopo munus Confessarij validè obtainere, cum hoc importet tantum Iurisdictionem, quod, ut dixi, per Irregularitatem non prohibetur. Basilea cit. n. 16. post Dian. p. 4. tr. 2. Ref. 68. & alios plures.

CCXLVI. 246. Irregularitas, ratione defectus, Species Irregularitatis. diuiditur 1. in eam quæ oritur ex defectu inculpabili, & eam, quæ ex defectu culpabili sive delicto incurritur.

Ex defectu Sacramenti. Primi generis Irregularitas est 1. ex defectu Sacramenti, seu Bigamiæ, eaque triplici. 1. vera, cum quis plures simul aut successiue habuit uxores. 2. Interpretativa, cum duxit ab altero corruptam, si scit fuisse corruptam, aut id sit notorium. 3. Similitudinaria, si quis ordine sacro, aut votu solenni Religionis adstrictus cum aliqua licet virgine Matrimonium etiam inualidè contrahit & consummat.

Ex defectu corporis. 2. Ex defectu corporis; quo laborant corporis. 1. Illegitimi, orti ex fornicatione, vel stupro, vel incestu, vel adulterio, nisi per subsequens Matrimonium Parentum legitimantur. 2. Qui absque culpa propria amissit aliquod membrum, quod impedit usum & exercitium coniugum Ordinis, vel certè notabilem deformitatem aut horrorem gignit. 3. Qui necdum attigere legitimam ætatem

etatem ad SS. Ordines recipiendos requiri-
tam. De quibus V. SS. Ordines. 4. Infirmi,
quando infirmitas vel impedit executio-
nem Ordinis, vel notabilem deformitatem
inducit, &c. Extenditur ad eos tantum Or-
dines, quorum usum vel prossus impedit,
vel notabiliter deformem & scandalosum
reddit, neque diutius durat, quam duret de-
fectus. 5. Serui, obligati ad ratiocinia, cu-
riales, vxorati, qui non sunt liberi.

Tertia est ex defectu animae, 1. suffi-
cientis litteratura, 2. Iudicij.

247. Quarta est ex defectu perfectae leni-
tatis, quam incurrit, qui iam baptizatus
hominem licite deformat, hoc est, occidit,
aut mutilat, aut causam propinquam de-
formitatis dat, in casu tantum administra-
tionis sive executionis iustitiae publicae, non
autem in ullo alio casu deformitatis licite,
ut praeter alios docet Tanner. de Irregular.
dub. 11. Ratio huius est, quia decet Clericos
& Ordinum Ministros, mansuetudinem &
lenitatem Christi imitari & representare,
Dixi (qui licite deformat.) qui enim iniuste
hoc facit, Irregularitatem quintae speciei
incurrit, de qua postea. Dicuntur autem
mutilare, qui membro, non qui usu mem-
bri priuant, aut debilitant; unde qui clau-
dum reddit aliquem, aut cæcum non eru-

CCXL-

VII.

*Ex defe-
ctu per-
fecta le-
nitatis.*

Aa endo

endo oculum, non sit Irregularis; multo
minus qui alterum vulnerat, etiam cum
multo sanguine. Nominē membris, et si plu-
res intelligent quācunq; corporis partem
notabilem, quā talis est, ut illius carentia
reddat corpus humanum mutilum, seu im-
perfectum; nō improbabiliter tamen, alij,
membris nomine, intelligent hic illam tan-
tum corporis partē, quā moraliter loquen-
do censetur habere distinctum per se offi-
ciam in corpore humano, ut oculus, pes,
manus, auris, membrum virile. Non au-
tem digiti, etiam pollices, dentes, testes,
barba, labra, cartilago auris seu auricula,
mammilla fœminæ.

Dicitur sufficiens & propinqua causa, ta-
lem exercens actum, qui vel ex natura sua,
vel ex peculiari intentione operantis efficac-
iter concurrit ad deformitatem alicuius
particularis personæ.

Dixi autem in casu tantum administrationis, &c. quia hic casus tantum in Iure
exprimitur, neque ullum ius Irregularita-
tem imponit, nisi Ministris Iustitiae, & ijs
qui concurrunt ad causæ probationem, vel
executionem pœnæ: ut sunt omnes Iudi-
ces, Ministri, Procuratores, Executores, &
Subexecutores Iustitiae in causa sanguinis,
hoc est, mortis seu mutilationis, effectu se-

cuto;

Tutto, et si Reum tantum ducant, vel auctoritatibus comitentur. Item Assessores, Notarij, testes, accusatores, ac denuntiatores in eadem causa sanguinis, nisi protestentur coram Iudice, se non intendere deformitatem Rei, sed hoc tantum ut impedianter mala, & auerantur damna. Ob quam protestationem licet communiter tantum excusetur accusator, tamen Aduocatum etiam & testem ob eandem excusari, ne fiant Irregularites docet Dian. p. 4. rr. 2. de Irregul. Ref. 32. afferens etiam Ref. 31. aliquos non improbabiliter censere, non fieri testimoniū Irregularē, quando vel jure obligatur, vel iusto Iudicis præcepto ad ferendum testimonium, multoque magis, quando ad id graui metu adigitur, cum eo casu non censeatur voluntariè ad mortem concurrere. Quod si Clericus etiam Sacerdos criminosum cum hac protestatione denuntiat, non sit Irregularis, neque Aduocatus, si tantum defendat Reum suum, non postulando pœnā talionis contrā Accusatorem, si ex accidente sequatur pœna mortis Accusatoris. Idem de teste habet Dian. Ref. 96. Etsi Clericus fuerit, qui in fauorem Rei testati potest de licentia Episcopi vel eius Vicarij.

CCLX-

VIII.

In multis

casibus

non in-

curruntur.

248. Ex allato Principio Dian. p. 3. N.
 35. Ref. 99. & alibi, colligit plures casus, qui-
 bus Irregularitas non incurrit, ac i si
 quis ei, qui plectendus est capite, dicat, vt
 supponat caput ad suscipiendum istum,
 ideoque citius supponat. Neque si quis di-
 cat Carnifici, vt aliquid aptet, quo citius
 qui morte plectitur, extinguitur. Neque
 si quis, dum Reus ad supplicium ducitur,
 consilium dat capiendi viam breviorēm,
 quo illud subeat citius, aut sollicitat accele-
 rari executionem Iustitiae, dicendo v. g. ho-
 ram esse breuem, aut populum nimis deti-
 neri. Item excusatur Confessarius & Re-
 spondor casuum Conscientiaz, si interroga-
 tus à Iudice, an sit obligatus ad occidēdū
 Reum ? Respondet, in particulari, adesse
 obligationem occidendi Reum. Item qui
 decegit malefactorem, vel clamata adesse la-
 tronem, vel ut comprehendatur, nisi quan-
 dd, qui manifestat, esset accusator, vel te-
 stis necessarius ad causaz cognitionem, vel
 hoc faciat vt Minister Iustitiae. Item de-
 nuntians hæreticum, licet sciat comburen-
 dum. Inquisitor tradens brachio sacerdaci-
 tri ; aut faciens opus, ad quod quis tenetut
 Iure diuino vel naturali, vt Confessor, qui
 non vult absoluere Reum, nisi fateatur cri-
 men, aut Iudicem, nisi faciat, quam debet
 Iustitiam,

Iustitiam, aut legem ferens pro Malefacto-
ribus. Item Prælatus, si pro defensione Ec-
clesia suæ debita, invocet brâchium sâcu-
lace cum protestatione etiam fictâ, se non
quærere pœnam sanguinis, aut milites con-
ducat pro defensione sui Iuris vel terum.
Non autem excusatur talis Prælatus, si in
suo territorio publicè assistat executioni
mortis, aut mutilationis, nisi aperte constet
adesse ob aliam causam, quam ut faueat,
aut Auctoritatem præstet. Excusantur ta-
men Clerici vel etiam Religiosi non ha-
bentes temporalem Iurisdictionem, qui in
loco supplicij sine causa assistendo, ne veni-
aliter quidem peccant. Item vendentes aut
commodantes scalam, funes, ensim, & si-
milia ad executionem mortis: Idem di-
cendum est de faciente furcam. Similiter
sine periculo Irregularitatis possunt mini-
strances Infirmis, eos vertere ex latere ad
latus, vel transportare de lecto ad lectum,
vel eis cibum aut potum porrigerere, & me-
deri etiam scindendo vel adurendo, licet
ipsi Ministri sint Clerici, & ex his actioni-
bus præter intentionem mors sequatur,
modò hæc omnia fiant cum cautela, quæ à
Prudentibus communiter adhibetur, adeòq;
sine culpa mortali. Vnde magis excusan-
tut Medici & Chirurgi secundùm artem

Aa 3 meden-

medentes. Item excusatur Clericus baptizans puerum in periculo, qui ex illo citius moritur. Demum excusantur, qui prorsus inuoluntariè vel in amentia, vel causa sua vitæ defendendæ, vel ne grauiter vulnerentur, aut graue nocumentum accipiant in bonis temporalibus, honore, pudicitia, &c., quæ aliter defendi non possunt, aut in defensione proximi innocentis, maximè sibi propinquæ, vel quando est Reipub. necessarius, siquidem etiam non possint fugere sine notabili dedecore; & Clerici, qui etiam ex intentione cum moderamine inculpatæ tutelæ, saltem citræ mortale peccatum deformant, vel causam deformitati præbét. Dixi, *Proximi innocentis*; secus enim est, quando quis iustè inuaditur, ut contingit, cùm Satellites seu Ministri Iustitiae publicâ authoritate aliquem capere volunt ad puniendum, tunc enim inuasus, si aliquem ipsorum occidat, omnino Irregularis efficitur.

Nota ex Barbos. de Poteſt. Epist. p. 2. alleg. 39 n. 56. tunc aliquem dici moderamine inculpatæ tutelæ vti, qui se non poterat defendere aut tueri, niſi eo modo quo se defendit. Quod cognoscendum est ex modo, tempore & causa, alijsque circumstantijs personarum. Quando excessus in modo defen-

defensionis fuit solūm venialis culpa, non incurritur Irregularitas, ea enim non incurritur, nisi propter culpam mortalem. Si militer ex eo, quod quis occidat inuasorem suum ex odio, ira, aut mala voluntate, dici non debet non seruare moderamen inculpatæ tutelæ, si alijs non potest alio modo euitare damnum imminens; nam et si talis actio interna sit peccaminosa, actio tamen externa excusatur à culpa homicidij.

249. Ad hanc speciem Irregularitatis reducitur etiam ea, quam contrahunt belli Duces & milites, qui in bello iusto offensi- uo mutilant vel occidunt, aut alijs in hac re propinquè cooperantur. Sunt enim & hi publicæ iustitiæ Ministri. Secùs quando dum aliqui occiduntur, tantùm assistunt, aut eos citrè deformitatem vulnerant vel exhortantur in bello iusto Milites, ut strenue se gerant, vel illis vendant, donent arma, modò non irritent ad determinatam hominis occisionem; licet etiam de his aliqui probabiliter afferant non incurtere, eò quod Irregularitas hæc imposta non sit, nisi contra eos, qui propriâ manu occidunt. Secùs est etiam de Clericis, si quo casu ex dispensatione Papæ, aut ob necessariam rei publicæ defensionem, quæ moram non patitur, licite in bello pugnant & occidunt:

Aa 4

Imd

Imò quoties defensivum bellum, est iustum
& licitum, militantes eti occidant, non fi-
unt Irregularis. Eadem est enim ratiō hu-
ius belli, quæ priuatæ defensionis, iuxta
Tanner. vbi supra. vbi has viuuer tales præ-
scribit Regulas.

Regula 1.

1. Quicunque Laicus, vel Clericus priuatæ
authoritate deformando, vel causam deforma-
tionis, priuatæ authoritate factæ, dando, non pec-
cat, vel saltē non mortaliter, Irregularis non
fit.

Regula 2.

ad Clericos speciatim per-
tinens: Quicunque Clericus ex precepto Cha-
ritatis erga Patriam, Parentes, proximum, &c.
renetur via defensionis deformare, etiam autho-
ritate publica non incurrit Irregularitatem.

CCL.
Irregula-
ritas ex
Deli-
to.

250. Secundum genus Irregularitatis,
prouenit ex delicto, cuiusmodi, licet plura
quidam enumerent, ex probabilioritatem,
quinque tantum in proposito delictorum
genera Irregularitatem inducūt, & ob cul-
pam duntaxat mortalem incurritur.

Delictū.
Homici-
dium.

Primum delictum est, cùm quis post
Baptismum, vivum hominem illicitè & cum
culpa mortali, occidit aut mutilat, dando
etiam ad id causam propinquam, vt consu-
lendo, hortando, mandando, nisi antea-
quam executioni detur, mandatum revo-
cet. Si quis non intendat mortem, nec ap-
plicet

plicet causam de se efficacem ad mortem,
sed potius excludat, & tamen aliquid faciat
vel consulat, vnde sequatur mors, erit
quidem homicida casualis, non tamen Ir-
regularis, quando in hoc nō peccauit mor-
taliter. Vide circa hanc Irregularitatem dicta.
superius n. 247.

Delictum 2. ex quo huius speciei Irre-
gularitas contrahitur, est male suscipere
Ordines, cuius licet varii ponantur modi.
Diana tamen p. 4. 12. 2. de Irregularz. Ref. 55.
in duobus tantum casibus incurri docet. 1.
Si furtiuè ordinetur, hoc est, nec examina-
tus nec admissus; vel quando quis facit ut
alius examinetur, & ipse loco illius & no-
mine suscipit Ordines. 2. Si durante Matri-
monio etiam non consummato præsumit
ordines suscipere.

Delictum 3. Est violare censuras Eccle-
siasticas, celebrando vel exercendo actum
alicuius Ordinis proprium, vt si excom-
municatus excommunicatione maiori,
suspensus aut interdictus, sciens vel scire
debens aliqua tali censurā se irretitum, ex-
erceat actum alicuius Ordinis, velut ordina-
tus tali ordine, solefiter, & quasi ex officio.

Delictum 4. Iterare Baptismum, quan-
do quis permittit se rebaptizari, vel ipse bis

2. Male
suscipere
Ordines.

3. Violare
Censurae
Eccles.

4. Iterare
Baptismum.

Aa 3 aut

aut pluries baptizat, saltem quoad ordines superiores non suscipiendos.

s. Infamia.

Delictum s. Est infamia tam Iuris quam facti, de qua V. Elec^{tio}. n. 166.

*CCLIL.
Irregularitas sol-
licitur tri-
bus mo-
dis.*

251. Irregularitas universim tollitur tribus modis, per Baptismum, Professio- nem Religionis, & per Dispensationem. Etsi Sayr. de Censur. l. 7. cap. fin. n. 7. & alij dicant, quod Irregularitas quæcunque pos- sit etiam tolli per absolutionem, cum in- tentione Irregularitatem tollendi prola- tam. Quinimδ eam quæ ex delicto est, auferri per absolutionem potius, quam per dispensationem: Et cum datur Potestas absoluendi à censuris & penitentia Ecclesiasti- cis, aliam non intelligi, quam facultatem dispendandi circa Irregularitates ex Delicto resultantes, ut in Declaratione Bullæ Pauli 3. contra Soar. docet Urban. ab Ascens. Theol. Mor. tr. 2. p. 2. dist. 1. c. 1. Reg. 13. Itemque c. 3. Reg. 7. cum ratione defendit, siquidem Christus Dominus sub verbis li- gandi & soluendi facultatem Ecclesie de- dit tam dispendandi, quam absoluendi.

*CCLIL.
Dispensa-
tione.*

252. Quædam Irregularitates sine vila etiā dispensatione tolluntur. Ut 1. Irregula- ritas proueniens ex defectu ætatis, quæ so- lo lapsu temporis tollitur, cum quis legitimi- mam secundum Canones ætatem attigerit.

Ita.

Ita qui morbo aliquo aut defectu corporis laborat, si euadat sanus & cessauerit defec-
tus, post longi temporis probationem ad-
mitti potest. Similiter & ij, qui sunt servi,
aut matrimonio iuncti, vel ad ratiocinia
vel curiam sæcularem obligati, sublati istis
manent habiles ad Ordines sine villa dispe-
satione. Sic etiam Illegitimus ex subse-
quente Matrimonio, si parentes inter se
côtrahant, ipso facto fit legitimus. Demum
Irregularitas ex Infamia contracta, lapsu
temporis vel mutatione loci, tolli potest;
qui enim in vna Ciuitate contraxit infamiam
facti, definit esse Irregularis, si alibi
ex mutatione vitæ acquirat bonam famam;
imò & in eodem loco, lapsu temporis, fa-
ma recuperari potest per bona opera apud
bonos & graues viros, sicut fuerat perdita
per factum proprium. Si verò fuit Infamia
Iuris vel Iudicis, tolli potest, si restituatur in
integrum fama per sententiam Iudicis.
Ita ex communi P. Bassæ. ro. 2. V. Irregula-
ritas. in fine.

253. Baptismus tollit omnem Irregu- CCLIII.
laritatem, seu potius in Baptismo non est Baptismo.
vlla Irregularitas ex aliquo, quod fuit antè
Baptismum, præter eam, quæ ex matrimo-
nio prouenit, nempè Bigamia, & Irregula-
ritates quæ proueniunt ex defectibus cor-
poris,

potis, non quia erant ante Baptismum, sed quia reperiuntur etiam post Baptismum, si-
c ut in alijs Baptizatis, vt qui est minoris aet-
atis, qui est naturaliter deformis, vel patitur
alia vitia, quæ generant horrorem aut scan-
dalum, &c.

ECLIV. Quantum ad Religionis ingre-
ssum, voluerunt quidam nullam tolli peni-
tutis Irregularitatem, sed faciliorem tantum
reddi dispensationem. Alij ex opposito do-
cuerunt omnem Irregularitatem austri,
præter eam quæ est ex Bigamia & homici-
dio voluntario. De quo. Sot. 4. d. 25. q. 1. a.
3. post i. Concl. Mos, inquit, nunc in Religioni-
bus seruatur, sive iure Communi, sive consuetu-
nine, sive Privilio obtentus sit, vt per Profes-
sionem omnis Irregularitas, quantum ad Ordin-
um susceptionem aboleatur, præter illam que
ex homicido voluntario, vel ex Bigamia contra-
bitur: non autem quantum ad Praelectionem.
Sotum secutus fuit Tolet, edit. antiqu. l. 2. c.
31. at verò c. 82. edie nou. negat ullam tolli
per Religionis ingressum, nisi quæ iure ex-
pressa est, quæ modò communis est DD.
sententia. Iure autem tantum Irregularitas
ex natalium defectu videtur expressa. Hæc
ipsa etiam austerritur solum per Profes-
sionem quoad SS. Ordines, non autem quoad
Praelaturas seu dignitates & officia Ordinis.

Quibus

Quibus nominibus quid intelligatur Vid.

V. Pralatus.

255. In Irregularitatibus ordinario Iu-
re solus Papa potest ac solet in his, quæ lu-
re humano contrahuntur, dispensare, in
quibusdam tamen valde raro & non sine
difficultate magna, videlicet in Irregularitate
Bigamia, præsertim veræ ac propriæ dictæ,
ex homicidio voluntario & illicito ac no-
torio, & in ea, quæ est ex corporis defectu,
si magna deformitas appareat, & in populo
Christiano scandalum generare possit, si
talis ad Altaris ministerium accedat.

CCLV.

*Dispensatio
a Papa.*

256. Ex commissione ipso iure facta
per Trid. seß. 24. c. 6. dispensare possunt E-
piscopi, etiam confirmati tantum, & non
consecrati cum subditis, tam int̄a, quam
extra Diœcesin existentibus, & in absentia,
in omnibus Irregularitatibus prouenienti-
bus ex delicto necdum deductis ad forum
contentiosum, excepto Homicidio volun-
tariorum etiam occulto. Quæ dispensatio non
solum pro fato interno, sed etiam externo
proderit. Bassæ. 10. i. V. Irregularitas. 11. n.
§. cum Sanch. & alijs contra Henrig. Pet Ir-
regularitates vero provenientes ex delicto
occulto, intelliguntur à Concilio, non so-
lum casus illi, qui à nemine sciuntur, nisi
ab ipso penitente, sed etiam alij occulti,
dum modò

CCLVI.

*Epsicop-
alis.*

dum modò non sînt deducti ad forum contentiosum, & intimati parti denunciatae, & hoc per citationem, quæ est primus actus Iudicij, sine quo proindè licet delictum deferatur ad Iudicem, videatur esse sicut ante occultum, & ita per Episcopum dispensabile. P. Caspens, de Censur. d. 5. sec. 17. cum Sanib. de Mair. l. 8. d. 34. n. 58. Non requiri autem delictum esse probatum vel declaratum, sed tantum quod sit deductum, quamvis reuera non sit probabile. Quod si non probetur delictum & absoluatur, iudiceturque reus innocens per sententiam, in tali casu, res in eum statum deducitur, in quo erat crimen ante accusationem vel denuntiationem, & potest dispensari ab Episcopo, quando nec plenè, nec semiplenè probatum; quando verò probatum est etiam semiplenè, non manet, sicut ante, occultum, propter infamiam securam ex semiplena probatione. Adhuc tamen in hoc Episcopum posse dispensare, præter Aul. Henr. & alios tacito nomine allegatos à P. Caspens. tenet pluribus citatis Dian. p. 2. tr. 2. Ref. 79. Quia iam satisfactum est scandalo publico per sententiam Iudicis, & sic purgauit delictum Irregularitatis, & manet iam crimen sicut antequam deferretur ad Iudicem.

257. Ho.

257. Homicidium omnino occultum, CCLVII.
 ita quod nullis testibus comprobari, neque *In Homicidio.*
 aliter quam per propriam confessionem sci-
 ri potest, vel nullam inducere Irregularita-
 tem, vel saltem non reseruatam Papæ, sed
 ab Episcopo dispensabilem, Miranda in
Man. Prel. 10. 2. q. 8. a. 10. concl. 1. & 2. vo-
 cat verissimum & probabilissimum, non
 obstante Trid. quod intelligendum ait non
 de homicidio prorsus occulto, & nullâ ra-
 tione probabili, sed de occulto, quod
 quamvis actu non sit deductū in iudicium,
 est tamen probabile. Ut probabile admit-
 tunt cum alijs multis, Campanil. in *Diuersor. Iuris Rubr.* 11. c. 27. n. 136. & Lezan. 10. 1.
 c. 18. n. 44. Alias etiam cum Irregulari ex
 homicidio occulto, ut ministret in Ordini-
 bus suscepitis, Episcopum dispensare posse
 docet Dian. p. 4. tr. 2. de Irregularit. Res. 100.
 urgente necessitate scandali vel aliâ, atque
 difficulti existente recursu ad Papam, vel ob
 inopiam, vel magnam distantiam, & hoc
 siue ex eius ordinaria potestate, siue ex taci-
 ta Papæ concessione, cum credendum non
 sit Papam sibi dispensationem reseruasse in
 tanto animarum periculo, ut de dispensa-
 tionibus in impedimentis Matrimonium
 ditimentibus dixit Sanch. l. 2. de Matr. d. 4.
 n. 7. & alijs communiter, supra V. Dispensatio.
 n. 141.

258. Aiunt

TCLVIII. 258. Aiunt quidam, quando Papa con-
Defectus cedit facultatem dispensandi in Irregulari-
perfecta tate, excepto homicidio voluntario, hoc
lenitatis. ipso etiam facultatem concedere, non tan-
rū in homicidio casuali illicito, sed etiam
iusto, quod inducit Irregularitatem ex de-
fectu lenitatis, quale Iudices, ceteriq; Mi-
nistri iustitiae, proprium officium iuste ex-
quentes contrahunt, quod neque culpabile,
neque iniuste appetat. Hanc sententiam
pluribus allegatis propugnat Barbos. *de Of-*
fic. & Potest. Episc. Alleg. 39. n. 46. Quibus
alios insuper superaddit Dian. *tit. Ref. 69.*
qui proinde hanc opinionem probabilem
vocat, oppositam tamen, & meritò proba-
biliorem. Licet enim dictum illud habeat
veritatem, quando Papa absolute faculta-
tem concedit dispensandi in Irregularitate,
excepto homicidio, non tamen quando il-
lam restringit ad Irregularitatem certi ge-
neris, ut in dicto loco Concilij, ubi tantum
Episcopis concedit dispensationem ex De-
licto, excipiendo homicidium. Quare cùm
Irregularitas ex defectu lenitatis, non sit ex
Delicto; ex probabili etiam sententia, non
potest ex illo fundamento in ea dispensare.
Secùs se habet, quantum ad Prælatos Re-
gulares habentes Priuilegium dispensandi
in omnibus Irregularitatibus, exceptâ Bi-
gamia

gāmīā & homicidio voluntario, &c. vbi
cūm habeatur absoluta concessio ab homi-
cidio, sine restrictione, ex Delicto, possunt
vtique dispensare in Irregularitate ex defe-
ctu lenitatis. P. Bassæ. V. Abbas. n. 4.

259. Iam quod attinet ad ipsos Regu-
lates, de quibus principaliter hīc agitur, possunt in primis eorum Prælati dispensare cum subditis suis in omnibus illis, in quibus possunt Episcopi cum sibi subiectis, & hoc partim ex jure communi, quia scilicet habent Iurisdictionem quasi Episcopalem, vt iam sepè dictum est, partim ex Priuilegio Pij 5. relato V. Absolutio quoad Fratres. n. 14. quo datur facultas Superioribus Religio-
num, vt possint facere cum sui Ordinis sub-
ditis, quod possunt Episcopi cum Clericis & Laicis, iuxta Trident. vbi suprà. de quo vid. Pejr. in Constit. Pyrrhi. n. 46.

Ex Priuilegijs alijs diuersorum Pontificum etiam Clem. 4. Eugen. 4. Sixt. 4. Iul. 2. Pij 5. Greg. 14. quos refertunt Lezan. 10. 1. c. 18. n. 40. & seqq. distinctius autem 10. 3. V. Irregularitas. Bassæ. 10. i. V. Abbas. §. 40. & V. Irregularitas. 9. n. 10. P. Cyprian. ad c. 7. Reg. lech. 12. Prælati nostri, Generalis, Provinciales, & eorum Vicarij, ac etiam Custodes in casu urgente, dum aditus ad Provinciale non patet. P. Sigism. de Elect.

Bb

dub.

CCLIX.
Porfæc
dispens
andi
Regula-
rum er-
ga sub-
ditos.

dub. 104. n. 11. (alij Guardiani & Confessio-
res quantum ad usum Sacramentorum dun-
taxat, iuxta dicta V. Absolutio, quoad FF. n. 21.)
possunt in foro tam externo quam interno,
dispensare cum subditis, & non subditis;
eiusdem tamen ordinis, quando ad eos de-
clinant, in omni Irregularitate, saltem non
proueniente ex Bigamia, mutilatione mem-
brorum, vel homicidio voluntario. Ita ut defec-
tu & Irregularitate huiusmodi non ob-
stantibus, Irregularites ipsis ad quoscunq; eti-
am Sacros Ordines promoueri, & in illis,
& in Altaris Ministerio ministrare, & tam
ipsi Irregulares, quam defectum natalium
(ex adulterio, sacrilegio, incestu, & quo-
uis alio nefario, & illicito coitu prouenien-
tem) patientes, ad quascunque admini-
strationes & Officia eligi, recipi & assumi,
illaque gerere & exercere liberè & licet
valeant.

Dixi, saltem non proueniente ex Bigamia,
mutilatione membrorum, & homicidio volun-
tario. Licet enim Machadus relatus à Dian.
p. 8. tr. Ref. 41. vniuersim asserat Prælatos
Regulares plenissimam habere facultatem
dispensandi cum sibi subditis in quacunque
specie Irregularitatis sineulla exceptione.
Itemque N. P. Gesuald. p. 2. Theol. Mor. tr.
24. c. 1. n. 23. referens ex Comp. Priu. Mend.
V. Ab-

diani & C.
 sacramentorum
 ius, quod in
 no quā in
 & non sū
 uando ad
 itate, falso
 mutilatum
 terio. In n
 modo in
 d quoq
 ueri, &
 nistrate,
 ecum na
 ncessit, &
 oit pote
 unque ad
 cipi & aff
 bert & lla
 ex Biga
 icidio v
 latus à
 erat. Pri
 re facili
 in quadri
 la excess
 theul. No
 mp. Priu.
 Bb 2

^{1.} Absolutio quoad FF. §. 40. Oraculum Mar-
 ini 5. datum 1. mo. Monasterio vallis Oleti,
 postmodum extensum & communicatum
 omnibus Prioribus, vel Abbatibus aliorum
 Monasteriorum, quo possunt Praelati ordi-
 nis cum suis subditis dispensare in omni Ir-
 regularitate, etiam in illis, in quibus Papa sibi
 reservauit vicem, ut in homicidio, & membro-
 rum mutilatione, & enormis sanguinis effusione,
 dummodo tamen aliquod illorum non sit notori-
 um, & hoc ad evitanda scandala. Quibus ac-
 cedunt P. Caspensi. tr. 25. de Censur. circa
 fin. adiungens concessionem Sixti 4. Et P.
 Sorbo in Comp. Priu. V. Dispensatio. In fine
 superaddens Indultum Iul. 2. ac demum P.
 Cypr. ubi supra extendens illam facultatem
 ad Bigamiam quoque non solum occultam,
 sed etiam notoriam, quia dicti Pontifices
 absolutè loquuntur, super omni Irregularita-
 te absqueulla limitatione, imò cum expres-
 sa mentione, etiam in illis casibus, in qui-
 bus Papasibi vicem reservar (exceptio autem
 firmat Regulam in contrarium) in foro
 tamen conscientiae tantum, & exceptis tri-
 bus, scilicet membrorum truncatione, enormi
 sanguinis effusione, ac morte, quando sunt noto-
 riae. In praxi tamen tam larga potestas fa-
 cilè exercenda non est, cum & Papa diffi-
 culter adeò in his tribus dispensem; sicut &

De hoc
 Prisuale-
 gio Sid.
 V. Occula-
 tum. n.
 348. E
 V. Prius-
 legium.
 n. 778.

in alijs, quæ procedunt ex aliquo enormi corporis vel animæ vitio, quod possit scandalum generare fidelibus videntibus celebrare illud habentem, ut si quis leprosa sit infectus, vel morbum caducum patiatur, aut coniunctus sit criminibus, quæ in jure notantur Infamia; In Bigamiâ verò potissimum, quæ ut aduertit Virban. ab Ascens. Theol. Mor. tr. 2. p. 2. dist. 2. c. 4. Reg. 4. magis opponitur coniunctioni Christi cum Ecclesia per vnicam huius desponsationem, quâ Christus eam in fidelitate perpetua desponsauit, quam homicidium, quod eatenus tantum Ecclesiæ repugnat, quatenus ipsa non nouit sanguinem.

Quod si deformitas tantâ non sit, quin dispensare Papa possit, puta, si oculi sit deformitas, claudatio, vel priuatio pedis, ut cum ligneo pede ad altare accedere oporteat, cum eiusmodi Prælati dispensare possunt, saltem ad usum susceptorū Ordinum, ut Sacerdoti celebaret liceat. In dubio num defectus aliquis sit ita notabilis, vt inducat irregularitatem, an non? licet aliqui teherent iudicium de hoc ad Superiores Regulares minimè spectare, sed ad Episcopum; plures tamen contrarium amplectuntur, quia hoc magis spectat ad Episcopalem iurisdictionem (quam ipsi Prælati habent in suos

ex aliquo suo, non autem Episcopi) quam ad Ordinis Characterem: In Collatione tamen Ordinum stat per Episcopum, admittere vel reiçere arbitrium factum à Prælato Religionis. Vide Bassæ. V. Irregularitas. 2. infin.

260. Respectu Sæcularium, Lezan. 10. i. 6. 19. n. 14. non agnoscit ullum Priuilegium alicui Religioni concessum dispensandi circa Irregularitates; Impugnat vero nominatum cum Soar. illud concedi Priuilegio Pauli 3. per verba, absoluendi à penitentia Ecclesiastici, tanquam contra stylum Curia. Similiter & Collector Priuilegii Mendic. V. Absolutio quoad Sacul. n. 20 dubitat num facultas dispensandi super Irregularitate reservata Ordinariis, facta fratribus Ordin. Minim. à Sixt. 4. data sit respectu Sæcularium. Econtra, Sacerdotem Regularem posse dispensare Sæculares super omnibus Irregularitatibus occultis, super quibus Episcopus ex concessione Tridentini dispensat, ac consequenter in quibusdam Irregularitatibus ex homicidio voluntario, iusto vel iniusto contractis, ex duplice illo capite potissimum, tum alijs pluribus indultis Apostolicis, argumentis & authoritatibus ex instituto, præter alios citatos à P. Bassæ V. Irregularitas. 11. n. 10. latè confirmant Urban. rbi supra, & Chassainus de Priuilegii. tr. 5. c. 4. prop. 1.

Bb 3

Ex

CCLX.
Respectus
Sæculari-
um.

Ex quibus tandem corollario 1. sequitur
 inquit, Quod hæc facultas dispensandi extendi-
 tur ad omnes Irregularitates, in quibus potest
 Episcopus dispensare; ita vi quicquid jure com-
 muni potest Episcopus super Irregularitatum
 dispensatione, posset Sacerdos Regularis per istud
 Privilium (Sixti 4.) ait enim Pontifex se il-
 lis (Minimis, & consequenter cum ijs par-
 ticipantibus) concedere facultatem dispensandi
 roties, quoties fuerit opus super qualunque Ir-
 regularitate, Ordinario reservata. Cumque Epi-
 scopus posset relaxare Irregularitates, qua ex
 quibusdam defectibus naturalibus aut alias in-
 culpatis proueniunt, ut sit aliquando cum qui-
 busdam illegitimis, quoad aliquos Ordines, aut
 quoad illorum usum, iuxta illa que tradit Em.
 Sa; ita cum illis poterit Regularis Confessor simi-
 liter dispensare, dummodo super his non fuerit
 sententia lata, quia tunc requiritur dispensatio
 solennis, qua Regulari Confessario non concedi-
 tur. Hæc ille, qui demum concludendo;
 His omnibus, inquit, addere liceat, Regulari-
 bus, in partibus Infidelium sive hereticorum
 existentibus, factamuisse facultatem ad dispen-
 sandum super omni Irregularitate ad formam
 facultatis Legati à Latere, ex Privilio Innoc.
 4. & Ioann. 22. Fratribus Minor. concessio: ac
 etiam ex priuilegio eiusdem Innoc. facultatem
 posidere dispensandi cum Clericis defectum na-
 turalium.

calium patientibus, dummodo de adulterio, de
incestu, aut Regularibus non fuerint procreati:
Et denique ex concessionibus Sixti 5. & Pij 2.
Ordini Fratrum Prædicatorum factis, habere
facultatem dispensandi super omni irregulari-
tate, exceptâ eâ, qua à Bigamia descendit. Sic
Thomas à Iesu l. 12. de procuranda salute omni-
um gent. in quo afferunt concessiones integras Pon-
tificum, in quibus haec Priuilegia expreſſe con-
tinentur. Hucusque Chaff. quæ verbotenus
huc transcribere placuit, quoniam neque
Thomam ab eo allegatum, neque conceſſiones illas Pontificias videre licuit. Qui-
bus hoc vñ addo, quod Stephanus D' Al-
uin. Ordin. Minim. de Potest. Episc. & Abbat.
c. 36. n. 12. ex Priuilegijs sui Ordinis atte-
statur, suos Minimos Romæ in celeberrimo
illo suo Conuentu SS. Trinitatis in
Monte Pincio, sic in praxi vii Priuilegio il-
lo Sixti 4. superius adducto, etiam circa
externos.

Refert etiam P. Bassæ. vbi supra. Ora-
culum Greg. 13. ex Append. litt. Apost. pro So-
cietate, quo etiam Mendicantes communi-
cent, vt possint rehabilitare ab omni gene-
re Irregularitatis, præter eam, quæ est ex ho-
micio, mutilatione, Bigamia, & defectu
Natalium. Mentio huius sit inter faculta-
tes Septentrionales dictæ Societ. V. Irregu-
laritas.

Bb 4

laritas sub die 2. Sept. 1580. Et cum limita-
tione, ne in usu huius facultatis aliqui minus
docti errent, reconciliare ab Irregularitate de-
fectu lenitatis contracto, omnibus Confessariis
approbatim conceditur, ab alijs vero, Rectoribus,
qui eandem facultatem concedere possint alijs
doctis & prudentibus. Et V. Ordines Maiores,
absoluti possunt (ait Collector) à nostris, qui
excommunicati sacrorum Ordinum ministeria
obijssent, ac cum ijs super Irregularitate dispen-
sari. Pius 5. 22. Nov. 1568. Idem concessit
Greg. 13. 25. Jun. 1573. Et iterum 24. Aug.
1576. cum extensione ad eos absoluendos,
qui Ordines etiam Maiores in excommunicatio-
ne maiori suscepserunt. &c. Vide insuper V. Ab-
solutio quoad FF. n. 21. V. Occultum. V. Di-
spens.

I V D E X.

- 261. Index Ordinarius, qui ex officio judi-
candi potestatem habet: Delegatus,
qui ex Commissione.
- 262. Iudices Regularium ordinary qui sint
263. Qui non sint?
- 264. Iudices Regularium delegati.
- 265. Quatuor delictorum genera, leuia, gra-
uia, grauiora, grauissima.
- 266. Leuia & grauia iudicant Guardiani;
Grauiora & grauissima Superiores
Maiores.
- 261. Index